



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-193083-p0001-7

DFG

472f

Q. D. B. V.
DISSERTATIO MORALIS
CONTINENS
PRINCIPIVM
OBLIGATIONIS
ET
NON OBLIGATIONIS
PACTI
PER
METVM EXTORTI,
QVAM
CONSENTIENTE AMPLISS. FACULT.
PHILOSOPHICA,
PRÆSIDE
M. PHILIP. PET. LILIEN-
THALIO,
DEFENDET
LVDOV. AVGVST. WVRFFEL,
GRYPHISWALDENSIS.
DIE MAJ. A. C. M. DCC XXXVI.
HORA LOCOQYE CONSVENTIS.

G RTP HISWALDIÆ,
TYPIS CAROLI HÖPFNERI, REG. ACAD. TYPOGR.

1736, 5. II

13



DESSER LATIO MORALIS
CONINENS
PRINCIPIVM
OBIGATIONIS
NON OBIGATIONIS
PACTI
MHN EXORTI
CENSUENTIA & IMPRSSA TUNC
PHYSICIS
PRAESIDIIS
M PHILIP PET LINEN
THALIO
FADOU VACAS T MARFER
DIR MAY & C WDGXXXV
HOC PEGOGLIE COVATIS
CATHERINA XXXV
TITLUS HISTORIÆ REG AVGVSTI LXXXII





LECTORI BENEVOLO.

Esse hanc multorum indolem, qui liberalibus artibus dediti sunt, ut a se excogitata magnis ipsis extollant laudibus, aliorum vero inventa, si non prorsus floccifaciant, in laudibus tamen ut decet, ei minime soleant ponere, quotidiana docet experientia. Hinc illa novandi libido, quæ secula nostra corruptit pessime; hinc tot horrenda cogitationum monstra oriuntur, quibus omne veritatis lumen scœpe ademum. Ejusmodi autem modus inclinascendi, propriamque captandi gloriam, rationi e diametro repugnat, utpote quæ suum cuique tribuendum etiam hac in parte esse docet. Neque est, quare is qui veras sibi acquisivit perfectiones, iisque antecellit alios, his modis illicitis honorem nominisque sui celebritatem, vel suscitare, vel augere, atque conservare velit, cum sponte sua illas sequatur. De quo ita scribit M. MICHAEL LILIENTHAL in *Dissert. Histor. Moral. de Machiavellismo literario* p. 5. vir sapiens, qui modestiam cum eruditione combinavit, veram ac solidam gloriam in factis ipsis, in divini Nominis laudem & mortalium salutem unice suscepis collocat, adeoque quod sui est officii diligenter, sed quieta cum industria, exequitur. Si quid novit, quod limitatis nostræ eratis, judicium satisfacere, quod inventionis acumine aut genii lepore applausum seculi possit merere, secure prodit in publicum, gloriam nec provocans temere, nec arroganter despiciens: sequitur illa, tanquam umbra virtutem. Non novas, L. B. neque incognitas

A

tas

tas præsenti hac dissertatione proposuimus veritates, confuse autem cognitas distincte explicavimus, notatis simul erroribus circa hoc nostrum argumentum a multis admissis, adjecta eorum refutatione. Idque in gratiam illorum fecimus, qui judiciosa ratione spinosa ingeniorum luxuriantium dubia perverstigare nondum didicerunt. Alias officio nostro scopoque nobis præfixo satis jam fuisse factum, si adserti nostri veritatem argumentis evidentissimis lectoribus ob oculos posuissimus. Hæc certe sufficierent, ad objectiones minime fundatas ac frivolas retundendas. Quoniam methodo demonstrativa hanc pertractavimus materiam, de definitionibus ante omnia nos oportuit esse sollicitos. Cum enim demonstratio concatenata syllogismorum serie absolvatur, certæ præmissæ prius fuerunt ponendæ, unde conclusiones, quibus etiam hoc nostro argumen-to usi fuimus, cum omnimoda certitudine elici potuerunt, quibus inter alias præsertim inserviunt definitiones. Has partim tractationi ipsi præmisimus, partim ubi opus fuit novis principiis, alio loco congesimus. Eadem illa Methodus efflagitavit a nobis, ut terminorum quorundam, quæ non satis certam determinatamque haberunt significationem, non tam principiorum loco, quam majoris evidentiæ causa adhibendorum, notionem completam dederimus. Hoc modo diversorum sc̄ope objectorum definitiones se excipiunt, in quibus nullus conspicitur nexus ac ordo. Id autem demonstrationi ipsi nullum afferre præjudicium potest. Quoniam enim diversarum seu sibi oppositarum rerum ideas complectuntur, una alterius rationem in se nullo modo continere potest, cui accedit, quod definitiones non efficiant ipsas demonstrationes, sed earum tantum sint, principia. Definitiones Cel. WOLFFI, & qui ipsius genuinus est interpres, Cel. Dn. KOEHLERI, ubi regulis logicis illas conformes esse deprehendimus, immutatas servavimus, nec vitio illud ipsum nobis verti ab ullo posse, putamus. Continet enim definitio nec plures nec pauciores characteres, quam qui sufficiunt ad definitum in omnibus circumstantiis, adeoque

sem.

semper & ubique ab omnibus aliis objectis cum homogeneis, tum heterogeneis, distinguendum, tales si supponamus, nulla nobis causa erit, ab ea recedendi, aliamque formandi definitio nem. Neque id facere potuimus, aut enim haec oppositos illi characteres tradidisset, aut ei subordinatos, prius per principium contradictionis, fieri non potuit, ad posterius non fuit nobis ratio sufficiens. Experiencia hoc etiam confirmat, illos fe re omnes qui Cel. Dn. WOLFFII vestigiis insistunt, ejus definitiones immutatas retinere, iisque adsumtis, vel nova condidisse systemata, quacunque etiam illud factum fuerit eruditio nis parte, vel ad casus speciales sive singulares easdem data oc casione applicasse. Probe autem gnari sumus, nos multa præ termisſe, quæ adferri hoc loco commode potuissent, sed can didum quemque lectorum in meliorem partem illud interpre taturum esse certissime confidimus, cui ejus rei cause non sunt satis manifestæ. Si quæ in hoc specimine inveneris L. B quæ ea ut decet cum accuratione, ex adsumtis a me principiis tibi non videntur esse eruta, illa potius excuses, quam ut aſteriori judicio eadem perstringas, perpendas, quæſo, eam esse & me am, & aliorum fortē communem. Quodſi etiam quædam deprehenderis, quæ ad palatum omnibus esse non videntur, sci to, me non placendi studio, ſed veritatis amore hanc con ſcripſiſe diſſertationem. Denique, ſi quid in hoc specimine contingat reperire L. B. quod Tibi fortasse haud displicerit, id, quantulumcunque sit, non mihi velim esse laudi, ſed illis, quos in hac aliisque Academiis, vel in litteris addiſcendis Ma gistros, vel promovendis inveni Fautores. Accipe itaque has ingeniolı mei primitias benevolo ore atque fronte, mihi que fave.

§. I.

Rationem dicimus illud, ex quo alterum concipitur; Id au tem quod in ſe continent rationem alterius, dicitur prin cipium.

A 2

§. II.

§. II.

Concipere dicimus rem aliquam, quam distincte nobis re-præsentamus, sive ut alii volunt, cum unam cogitationem per aliam ope nexus cognoscamus. *Nexus* autem *cogitationum* tunc adesse dicitur, quando una idea vel continet alteram, vel etiam continetur sub alia. Prior idea ex posteriori concludi facile potest. Si enim cogitationem aliam per aliam ope nexus velimus cognoscere, tunc requiritur, ut nobis distincte unamquamque repræsentemus, quod, cum fiat per attentionem, reflexionem, comparationem & abstractionem: sequitur, ut qui velit rem aliquam concipere, debeat adhibere attentionem, comparationem *ceterum*.

§. III.

Distinctam alicujus *rei notionem* tunc habere dicimur, cum characteres alicujus objecti, circa quod versamur, nobis singulatim repræsentare, atque alius eosdem indicare possumus, quibus illud ab omnibus aliis objectis distinguimus.

COROLLAR. I. Qui ergo provocat ad principia, provocat ad illud, quod sibi distincte repræsentat (§. I. §. II.) seu ad cogitationem sive propositionem, per quam alia cognoscitur ope nexus, & cujus characteres indicare valet (§. III.) Ubi ergo nullus est cogitationum sive idearum nexus, atque cognitio distincta, ibi nulla est ratio, consequenter nullum principium (§. I.)

COROLLAR. II. Quicunque principia vult formare, debet distinctas sibi formare ideas (conf. CORROL. I. §. III.) ad hoc autem requiritur attentio, reflectio, comparatio & abstractio, (§. II.) que supponunt certas animæ facultates: E. infantes, furiosi, mente capti, bruta animalia, principiorum non sunt capacia subjecta; hinc ad demonstrationes sibi repræsentandas vel formandas non sunt apta. Principia in se continent ideas abstractas, ideas autem abstractæ in se continent universalia seu genera rerum; genera in se continent similitudines specierum, seu in quibus species convenient, & species porro in se continent similitudines individuorum, tota enim natura generis est in

in qualibet specie non vero reciproce id verum est. Formantur haec genera rerum operatione intellectus, cæterorumque animæ facultatum. Hasce facultates autem cum brutis non tribuamus, dum illorum actiones ex sensibus, memoria, atque imaginatione concipere possimus, negamus etiam illorum effectus.

§. IV.

Sermo quo quis affirmat velle se alteri aliquid præstare, vel etiam ejus intuitu aliquid omittere dicitur *promissio*.

§. V.

Quodsi alteri voluntatem nostram signis quibusdam declareremus, de re aliqua effectui danda, *consentire* dicimur.

§. VI.

Opposita ratione se habet *dissensus*, qui est declaratio voluntatis nostræ signis manifestata, contradicentis voluntati alterius, respectu alicujus negotii vel suscipiendi vel omitendi.

§. VII.

Signum est id, cuius repræsentatio in nobis excitare debet cogitationem alterius obiecti cum illo conjuncti.

COROLLAR. Verba itaque sunt signa cogitationum nostrarum.

§. VIII.

Cum quis affirmat velle se consentire in promissum nostrum, ille *acceptat promissum*.

§. IX.

Promissum acceptatum ab altero, dicitur *pactum*.

§. X.

Judicium itaque laturo de casu quodam singulari obveniente: an pactum inveniat locum nec ne? ratio est habenda 1) promissi, (§. IV.) 2) acceptationis, (§. VIII.) 3) signorum certorum, (§. V. VI.)

SCHOLION I. Definitio Paeti (§. IX.) suppeditata, non discrepat quoad sensum ab illa quæ vulgo adferri solet, ubi definitur per consensum duorum vel plurium in idem placitum.

A 3

Idem

*Idem placitum dicitur idem objectum repræsentatum ad quod existentiae reddendum, vel impediendum, duorum voluntas tendit coll. (§. IV. §. VIII.) Neque a nostra pacti definitione, illa quam DN. HOHEISEL Tract. qui inscribitur: *Doctrina philosophica de ideis, descriptionibus, definitionibus & divisi, suppedavit, differt nisi hac ratione, ut in definitione sua expreſſerit ea, quæ nos inde concludendo eruimus: dicitur autem ipsi pactum; pluriū in idem placitum consensus invicem declaratus, atque animo jussi sibi a declarante acquirendi, acceptatus, ut media felicitatis humana invicem communicentur.**

SCHOL. II. Est quidem nostra definitio non adeo multis verbis concepta, ita tamen comparata, ut characteres pacti perpetuos sistat, quibus illud ab omnibus aliis negotiis distinguvi possit; adeoque in se continet notionem distinctam (§. III.) atque completam, consequenter vera est definitio. Est etiam principium foecundissimum, ita, ut conclusiones omnes comode inde eliciti possint, quæ in doctrina de pactis occurrent. Quare superfluum judicavimus conclusiones ei inferre, quæ ex ea sequuntur. Ut autem appareat, nostram definitionem continere in se rationem omnium eorum, quæ in definitione cit. Auctoris posita deprehenduntur, faciam aliquod experimentum, (cum conclusiones hinc eruendæ, sequenti demonstrationi inserviant,) exutiendo singula, quæ in allata occurrent definitione, facta ad nostram applicatione.

§. XI.

Quod si alter alterius acceptet promissum, tunc in illud consentire dicitur (§. VIII.) qui consentit in alterius promissum, suam ille declarat voluntatem certis signis, ut velit aliquam rem transferri ad existentiam (§. V.) consequenter illorum voluntas, qui paciscuntur, tendit ad aliquid vel existentiae reddendum, vel etiam impediendum. (coll. S. IX.) hoc autem dicitur idem placitum per Schol. §. X. Ergo Pactum est plurimum in idem placitum consensus, invicem declaratus.

§. XII.

§. XII.

Quicunque acceptat promissum, ille affirmat, se consentire in promissum alterius per deficit (§. VIII.) consequenter declarat voluntatem suam de re aliqua ad existentiam ratione sui transferenda (§. XI.) Ergo acceptanti animus sit necesse est recipiendi id, quod ab altero offertur. Per promissum autem ab altero acceptatum jus in hunc transfertur per demonstrata, (§. XVI. §. XXVIII.) Ergo acceptans animum habeat necesse erit, a promittente sibi jus aliquod acquirendi.

SCHOOLION I. Apparet ex allatis, citatam definitionem continere aliquid in se, quod adhuc est demonstrandum, adeoque principium demonstrandi ipsa non est, nam principium demonstrandi ita debet esse comparatum, ut quæ inde concludimus, cum omnimoda certitudine possint affirmari, id est, debeat eorum rationem in se continentem sufficientem, quæ inde deducuntur. (§. I.) Illud autem ex nondum demonstratis fieri nullo modo potest.

SCHOOLION II. Finis paectorum cuius mentionem injicit auctor loc cit. pari modo est conclusio, inferenda ex idea & insole promissi, quam immiscet definitioni sue, quod ita demonstramus.

§. XIII.

Cum in Paetis intuiru alterius aliquid vel praestare vel etiam omittere velimus, (coll. § IV. §. IX.) necessum erit, ut eum virium nostrarum reddamus participem. Quem autem virium nostrarum reddimus participem, sive ratione animæ facultatum, sive ratione corporis, sive ratione bonorum nostrorum, in consequendo aliquo proposito, illum *junare* dicimur, si illi auxilio esse volumus. Ergo paesta eo tendunt, ut alteri auxilium prestemus. Sunt haec auxilia, quibus homo ab homine indiget, sive defectus virium propriarum, finis, uti promissionum, ita & paectorum, (§. III.) haec, effecerunt, ut homines in promissiones incidentur.

§. XIV.

§. XIV.

Objectum repräsentatum in perceptione prævisa, quod anima vel ad existentiam transferre, vel cuius existentiam impedit conatur, vocatur *finis*. Illud autem quod antea effectui est dandum, antequam objectum aliquod prævisum existentiæ accipere possit, dicitur *medium*. Cum itaque hoc in se continet rationem finis obtainendi, etiam definiri per illud posset, quod in se continet rationem existentie finis.

COROL. Cum auxilium aliis ferendum sit finis pastorum (§. XIII.) illeque autem obtaineri non possit, nisi per promissum acceptatum ab altero: sequitur, ut promissiones ab altero acceptatae in se continant rationem auxilii aliis præstandi. Consequenter promissiones sunt remedia ad auxilia aliis præstanta, vel etiam auxilia ab aliis obtainendi (§. XIII., XIV.)

§. XV.

Quem virium nostrarum reddere volumus participem, illum juvare volumus (§. XIII.) adeoque perfectiorem reddere illius statum cum internum, tum externum conanmur. Perfectio autem tam externi nostri status, quam interni, absolvit nostram felicitatem: Ergo per parta felicitatem alterius promovere intendimus, sive quod perinde est, media felicitatis cum aliis communicare volumus.

SCHOLION I. Eo modo per longam conclusionum seriem, uti appareat ex (§. XII. XIII. XIV. XV.) fuerunt eruenda, quæ auctor *loc. cit.* in definitione tradidit. Cum autem illa definitio methodus nobis non arrideat, nec Recentioribus probetur, hanc definitionem nostram facere noluimus.

SCHOL. II. Definitions, quo sunt breviores, eo ad demonstrandum magis accommodatae esse videntur, modo definiti in se continant essentialia. Quicunque enim rerum investigare rationes prævia quadam meditatione cupit, is facilis negotio easdem in memoriam sibi revocare poterit, ad demonstrationis telam pertexendam. Quod fieri alioquin ita facile non potest, cum nimis prolixæ sint, utpote quibus labor augetur præter necessarii.

cessitatem, magisque animus confunditur, quam ut solida rerum instruatur cognitione. Fiunt autem justo prolixiores, quando in illis principia una cum suis conclusionibus exhibentur, cuius generis exempla quam plurima in systematibus theologicis deprehendes. Optandum itaque esset, ut methodus, qua in definiendo usus est Cel. Wolffius, se probaret omnibus, qui in doctrinarum studia eo incumbunt animo, ut vel veritates incognitas, ex cognitis eruant, vel cognitas, cum aliis communicent.

§. XVI.

Omnis qui acceptat, consentit in promissum alterius (§. VIII.) Promissa eo tendunt, ut respectu alterius aliquid vel præstare, vel omittere velimus (§. IV.) hinc virium nostrarum participem facere illum volumus (§. XIII.) adeoque felicitatem ejus promovere cupimus (§. XV.) Ergo sequitur, ut in omnem acceptantem vel aliquid sit transferendum, vel etiam ejus intuitu aliquid sit omittendum. Acceptans & promittens, dicuntur pacientes. Quando autem res quedam conferuntur, vel alterutri pacientium, vel etiam ambobus, (si uterque aliquid promiserit) per consensum reciprocum, confirmatur, quæ ante ad illum in quem transfertur, non pertinebat. Illud enim involvit contradictionem, rem aliquam conferre alteri, quæ ante translationem ipsius jam fuit. Per pactum itaque suum promittentis (§. XXII.) mutatur in alienum. Elucet hujus propositionis veritas ex eo quam clarissime, quod promittens aliquid in acceptantem transferre non possit, quod ad suum referri antea non potuit, per idem contradictionis principium. Supponit itaque illa translatio juris pactitia, suum, quod tale esse definit, postquam conferens juri suo renunciavit, ubi tunc is, in quem aliqua res collata est, jure hoc frui incipit, quo antea usus fuit alter, ut eodem modo jamjam in suos usus pro arbitrio suo rem translatam convertere possit, cum omnimoda aliorum exclusione. Illud ipsum dicimus iuris nostri translationem, alio autem sensu illud accipit Hobbesius

B

SUS

sius, de *Cive Cap. II. v. 3.* *scgg.* qui admittere juris translationem non vult, quoniam ex ejus sententia nullum jus transferatur, sed tantummodo ab altera contrahentium parte declaretur, illum renunciare suo juri, atque permettere usum illius rei, alteri, hinc translationem juris consistere in sola *non ressentia*. Verum cum hæc ipsius sententia falso nitatur principio sive supposito, quod ante translationem juris, is, in quem transferri dicitur, iam tum habeat jus in omnia, probare illam hac ratione non possumus. Hoc quidem negari nequit, natura sua quidem res esse omnibus communes, quoniam ex iis ratio nulla dari potest, quare magis ad hunc, quam ad alium pertinent, sed post occupationem ratio ejus adeat sufficiens, unde tunc aliter erit pronunciandum de illis. Etsi autem hæc res ita sit constituta, ut omnibus hominibus æqualia sint jura ante rerum divisiones, sive nondum facta occupatione; tamen negare non possumus, dari dominia rerum, hoc est, concessam esse hominibus a Deo hancce facultatem, ut cum exclusione aliorum, uti re quadam quam prius occupaverunt, aut quæ ab aliis iis cessa fuit, possint. Unde translationem juris per parta aëtu non fieri, hoc HOBESII asserto, non probatur, conf. (§. XXVIII.)

§. XVII.

Cum actionibus nostris liberis, quorum existentia vel non existentia, ad nostram voluntatem efficacem referri potest, & quarum autores dici possumus, certa conjectaria esse connexa, experientia docet unumquemque, & est hæc res in confessio apud omnes, qui uti ratione sua possunt. Conjectaria hæcce, quæ vel ex propria, vel ex experientia aliena nobis innoscunt, motiva suppeditant, ad suscipiendam vel omittendam hanc vel illam actionem, aut etiam eam intermittendam. Sunt autem illa ita comparata, ut partim ex vi modoque compositionis nostri aliorumque corporum, seu eorum essentia & natura, sint conceptibilia coll. (§. II.) partim ex natura animæ, seu earum

earum facultatum & attributorum. Consecaria hæcce sunt vel bona vel mala, prouti nos redditur vel perfectiores, vel imperfectiores; idque ratione nostri corporis, animæ, aut status externi. His tantum partibus perfectionis capaces sumus. Bonam dicimus actionem, quæ neque intuitu status nostri interni, neque ratione status externi, nobis contrahit imperfectionem. Malam dicimus, quæ opposita se habet ratione, h. e. quæ his partibus nobis imperfectiones conciliat. Perfectio autem & imperfætio inde dijudicantur, cum omnia varia, quæ in corpore & anima nostra deprehenduntur, ex fine communi seu ratione quædam generali vel concipi, vel non concipi possint. Quo major itaque est convenientia vel disconvenientia variorum, eo major aut perfectio, aut imperfectio erit. vid. Cel. WOLFFII Metaphysic. (§. 152. p. m. 78.)

§. XVIII.

Bona igitur & mala, vel naturaliter ex actionibus oriundæ, vel etiam positive, sive ex arbitrio aliorum, cum iis connexa, sunt motiva voluntatis nostræ, [§. XVII.] quæ semper ea appetit, quæ sub ratione boni intellectus ipsi repræsentat, & aversatur ea, quæ intellectus pro malis reputat. Cum autem cognitio boni & mali, vel distincta, vel confusa esse possit, fieri potest, ut bonum apparet pro vero habeat, malumque ad parens intellectus ut vere tale sibi repræsentet. Hinc concipimus, qui fieri possit, ut appetamus mala, & aversemur bonum, bonum enim adparens est malum, & malum apparet, est bonum, itaque hoc legi appetitus: *Nil, nisi bona, volumus, Nil, nisi mala, nolumus, minime aduersatur.* Etsi enim plurimi mortalium actu mala appetant, & actu bona aversentur; nihilominus, dum malas actiones admittunt, ut bonas easdem sibi repræsentant, & dum bonas fugiunt, illas non ut tales cognitas habitant, sed quoniam mali quid iis inesse, sibi persuasum habent. Hæc adeo sunt manifesta, ut ad experientiam cuiusvis tuto provocare possumus.

B 2

SCHOL.

SCHOL. Ita erit interpretandum dictum illud; meliora vi-
deo proboque deteriora sequor, ne antea dictis contradicat,
quod a multis in aliud detorquet sensum, qui ad se ipsos
nunquam haberunt animum attentum.

§. XIX.

Natura itaque obligamur ad bona perficienda & mala fu-
gienda (§. XVII. XVIII.) Unde oritur hæc regula, cui actiones
nostras liberas attemperare obligamur:

- 1.) Fac ea, quæ Te, statumque tuum, reddunt perfectiorem.
- 2.) Omittas ea quæ statum tuum cum internum tum ex-
ternum, reddunt imperfectiorem.

Generale hoc est principium totius philosophiae moralis; unde deduci possunt omnia officia, quæ nobis, aliis, & Deo, sunt
præstanda.

§. XX.

Quem obligamus, cum ejus actionibus liberis certa quæ-
dam motiva connectimus, ipsique necessitatem imponimus,
ut actiones suas liberas ad voluntatem nostram conformet.
Actio, cuius commissio, vel omissione, a lege nobis injungitur dicitur officium.
Sequitur ergo, ut lex imponat nobis officia, atque ad illa exe-
quenda, obligationem in nobis producat.

§. XXI.

Cum natura certa consecutaria vel bona, vel mala, conne-
ctat cum actionibus hominum liberis, quæ motiva illis suppe-
ditant actionis cuiusdam vel perficiendæ, vel omittendæ, bo-
naque nos reddit perfectiores, malaque autem imperfectio-
res (§. XVII.) porro quicquid nos reddit perfectiores, appe-
tamus, eaque quæ nos faciunt imperfectiores, aversemur (§. XVII.
§. XVIII. §. XIX.) sequitur, ut natura nos obliget, ad fusi-
piendas illas actiones, quæ status nostri interni & externi per-
fectionem promovent, & ad fugiendas, quæ intuitu ejus nos
reddunt imperfectos. (Col. §. XX.) Actio autem ad quam vel
perficiendam, vel omittendam obligamur, est officium (per
eandem §.) E. a natura, ad certa obligamur officia, intuitu no-
stri

stri perficienda. Quæ cum sit a Deo, hic per naturam ad ea nos obligat.

§. XXII.

Ex (§. XXI. coll. §. XIX. §. XX.) sequitur prona consequentia, ut natura nobis injungat custodiam eorum bonorum quibus instructi sumus, quibusve nostra felicitas interna & externa vertitur, & sine quibus obtineri illa non possit. Complexum autem omnium eorum quibus de jure instructi sumus, & quæ statum nostrum internum & externum reddere possunt perfectiorem, nos dicimus Suum. Ergo ad suum custodiendum quisque obligatur.

SCHOL. Definitionem Celeb. KOEHLERI quæ Exercitat. J. N. IV. §. 747. reperitur, qua ad suum retulit, omne id, quibus alter jam jam instructus est, sine adjecta quadam determinatione, quæ in nostra conspicitur, assumere non potui, quoniam contra regulas logicas videtur impingere, quibus, cavetur, ne definitio sit latior quam definitum. Evidem concedimus, quod omne id, quod suum dicatur, sit complexus earum rerum quibus aliquis instructus est, & in quibus felicitas ejus interna & externa vertitur, sed non reciproce illud verum est, neque id GROTIUS, ad quem ille provocat loc. cit. venit in mentem, quis enim suum id nuncupare vellet, quibus instructi sumus, seu quæ possidemus, multa enim injusto possidentur titulo, atque acquiruntur dolo, fraudibusque variis. Etsi quidem non credamus, cit. auctorem hoc affirmare voluisse, tamen minimum incaute locutus est, cum ea prona consequentia ex ipsius verbis elicere possint.

§. XXIII.

Cum illa obligatio frustanea esset, custodiendi id quod ad nostrum referri potest, nisi jure instructi essemus nos defendendi contra illos, qui suum violare, eoque nos privare conantur: sequitur, ut nobis jus competit cogendi alios, ut res quibus natura, vel facta quodam intercedente humano, instru-

Et si sumus, intactis relinquant, atque ut damnum datum resarciant. Hinc concipimus, dari officia, quæ extorsionem patiuntur, quæ sic in statu naturali per vim armatam seu bellum, in statu civili autem per procellum. Coactionem autem talem ratio in iis tantum admittit casibus, ubi alter nos turbare vult in possessione eorum bonorum, quæ ad suum pertinent. Ponas, nobis adempcam esse hanc cogendi alterum facultatem legi quadam, ad horum officiorum necessitatis præstationem, tunc, aut pereundum nobis esset, aut minimum misere vivendum, ad neutrum autem natura nos obligat conf. (§. XIX.)

§. XXIV.

Ex idea officiorum erga alios, quæ coactionem admittunt (§. XXIII.) hujus propositionis veritas elucet: Ne turbemus nos invicem in possessione & usu eorum bonorum, quibus quemque jure instrutum esse deprehendimus, & in quibus felicitas nostra vertitur. *Suum ergo quique tribuat alteri.* conf. (§. XXII.)

SCHOL. Est hoc principium Juris naturalis cogentis, unde deduci ea tantum possunt officia, ad quæ alter cogi potest. Est illud priori subordinatum, quod (§. XIX.) traditum fuit, illoque est angustior. Idea, alia dicitur angustior, quæ non ad ea objecta omnia extendi potest, quam de quibus affirmatur altera, quod applicari ad hoc principium potest, cum officia amoris, honesti, piisque naturalis, non complectatur.

§. XXV.

Metu, est tedium, quod oritur in nobis ex malo futuro representato, qui nobis ejusmodi incutit metum, atque hoc modo ad agendum nos determinat, ille nos cogit. Actio ex metu suscepta, dicitur *coacta, vel invita.*

§. XXVI.

Actio ergo metu extorta, oritur ex malo nobis representato, representationes malorum pertinent ad motiva agendi (§. XVII.) motiva inclinant voluntatem ad aliquid vel perficiendum, vel omittendum. Ergo actio metu coacta, est voluntaria.

§. XXVII.

§. XXVII.

Ut hujus rei veritas magis elucescat, scil. quod voluntas coacta, sit etiam voluntas, sequentia notes. Si quis metu coactus aliquam actionem suscipit, vel etiam eandem intermittit, tunc is sibi minimum duo representat mala, una ex parte, actio suscipienda sibi videtur mala seu incommoda, ex altera parte, actionis omissionem malam esse judicat, ex duobus malis id solemus naturaliter eligere quod est minimum, illudque auctem ratione mali majoris pro bono a nobis reputatur, ad id vero amplectendum fertur voluntas, (§. XVIII.) Ergo qui ex coactione agit, voluntarie agit, duo itaque adsunt eligibilia, hinc cum libertate coactio potest consistere, qua^e est attributum voluntatis proprium. Quamdiu autem plura sunt eligibilia, tam diu nulla necessitas locum invenit, ubi ad unicum determinati sumus. Est autem *libertas*, facultas ex pluribus aequa possibilibus id eligendi quod nobis optimum esse videtur. Ubi necessario agimus, ibi actio non dependet a voluntate nostra, an eligere velimus nec ne, an hoc, vel potius aliud, velimus eligere, hinc necessitas tollit libertatem.

XXVIII.

Per pactum suum mutatur in alienum (§. XVI.) is enim qui aliquid promittit, esse vult alteri auxilio (§. XIII.) hinc vi-
rium suarum alterum vult facere partipem (§. XIII.) vires autem ad suum pertinent (§. XXII.) itaque vult ut ex suo fiat alienum, voluntas autem nostra fertur ad finem quandam existentiae reddendum, hinc vult ut actu in alienum transferatur. Ille qui promissum acceptat alterius, consentit in ejus promissum (§. VIII.) consequenter idem vult, quod alter, atque promittens vult ut *to* suum, actu fiat alienum per dista. Ergo acceptans etiam vult, ut alienum fiat suum. Hoc modo etiam demonstratur propositio, qua priori loco posita est hac §. cum tamen ratione nexus idearum ultimum locum debeat occupare, est enim conclusio ex certis præmissis deducta. Ad suum custodiendum, homo natura obligatur (§. XXII.) hincque ip-

f

si competit jus, res ad illum pertinentes ita in suos convertentur usus, ut ab eo excludere quoscunque possit, illasque ab iis vindicare (§. XXIII.) Per pacta igitur nobis jus acquirimus, licet rebus, quæ antea ad alium pertinuerunt, utendi.

§. XXIX.

Jus, quod est in uno, parit obligationem in altero. Eo ipso enim cum in uno ponamus jus, re aliqua pro suo arbitrio utendi aliosque ab ea excludendi; non possumus alteri tribuere idem jus, actioni alterius sive juri resistendi, per principium contradictionis. Ergo, cum alter, intuitu ejus rei quæ ad meum referuntur, non habeat jus; inde cogi potest quando me turbare vult. Hæc coactio sequitur ex jure mihi competente, (§. XXIII.) cogi autem non posset, nisi obligatus esset ad rem illam mihi tribuendam. (§. XXIV.)

§. XXX.

Omne pactum in se continet promissum (§. IX.) promissa eo tendunt ut aliis auxilio simus (§. XIII.) hoc autem fieri debet viribus nostris, vires pertinent ad id quibus instruti sumus, hinc ad suum pertinent. (§. XXII.) Ut suum aliquis in alienum convertat, ad illud cogi nequit, quoniam nobis competit jus, frui rebus nostris cum aliorum exclusione, cogendique illos, qui suum violando, damnum nobis conciliarunt, ad ejus reparationem. (§. XXIX. coll. XXIII., XXIV.) per pactum autem suum in alienum transfertur (§. XXVIII. coll. §. XVI.) Ergo, ad pactum cum aliis celebrandum absolute, cogi nemo potest. Si itaque adferere velimus, ad suum transferendum in alterum, cogi aliquem posse, tunc in una persona admitteretur jus, & etiam nullum jus, quod est absurdissimum. Hinc cum non sit officium necessitatis, ex nostro facere alienum (§. XXIII.) erit illud inter officia humanitatis referendum, ubi ratio nullam admittit coactionem. Quicunque itaque ad id cogit alterum; ledit eum, est enim *lesio*, violatio & suum cuique. Ex hac definitione concludimus, quod is, qui recusat alteri auxilium ferendum, illum minime lèdat. Quamdiu metua

autem nulla leſio interveneſerit, ad paſtum celebraṇdum, nul-
lus cogi potest, quoniam ſola leſio eſt cauſa coaſtioṇis iuſtiſi-
ca, conf. (§. XXIII.) Ubi autem ſua ſponte aliquis paſtum inie-
rit cum aliis, vel etiam per metum iuſtum ad id compulſus fuerit,
officium humanitatis convertitur eo ipſo in officium neceſſitatiſ
(coll. §. XXVIII.) (§. XXXI.)

§. XXXI.

Ex haſtenus diſtiſ adparet, dari officia neceſſitatiſ ſive
perfeclis, (coll. §. XXIII.) it. (§. XXIX.) Dantur etiam officia
aliis praefindi, que eo tendunt, ut perfecliones, vel earum gra-
duis majoris, omni ſtudio promoveamus, vel etiam imperfe-
ctionum illorum gradus majores, avertamus. (§. XIX.) Ejus-
modi autem officiorum genera, ab aliis extorquendi licentia,
ſive ius, nulli confeſſum eſt. Quoniam etiam hoc modo ho-
minibus eſſet aut pereundem, aut miſere vivendum, propter
litigiorum & diſceptationum infinitam multitudinem. Jam
vero juri naturali & rationis dictamini eſt conforme, ut qui-
que ſe perficiat, (§. XIX.) hinc ejus vox eſt: ne pereas, neve mi-
ſere viwas. Haec itaque officia imperfeclta oponuntur offici-
is neceſſitatiſ ſive perfeclis. De quibus (§. XXIII.) auctum fuit.

§. XXXII.

Officia, cum humanitatis tum neceſſitatiſ, ſupponunt leges
(§. XX.) Cum officia perfeclta vi extorqueri poſſint; (§. XXIII.)
ſequitur, ut ad quarundam legum cuſtodiam, homo hominem
ex rationes dictamine vi adigere poſſit. Unde etiam leges ne-
ceſſitatiſ audiunt, quibus oponuntur illæ, ubi illud fieri ne-
quit. Coaſtio itaque & non coaſtio, conſtituit diſcriben, uti
officiorum, ita & legum coll. §. XXXI.

§. XXXIII.

Lex, eſt iuſſus superioris, obligans inferiores, ad aliquid vel
ſaciendum vel omittendum.

C

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Pactum dicitur coactum, ad quod celebrandum certa mala fuerunt repräsentata, supponunt ergo actionem metu extortam. (§. XXV.) quam sine propositis quibusdam malis, alter non suscepisset. Cum autem repräsentatione malorum futurorum, alteri metum incutere dicamus : sequitur, ut *pactum coactum* etiam dici possit illud, quod metu celebratur.

§. XXXV.

Eiusmodi pactum coactum etiam esse pactum, porro nobis demonstrandum erit, ut deinde, cum per ventum fuerit ad obligationem ex pactis metu extortis vel resultantem, vel non, tuto supponere possimus, esse illud omnino pactum. Illud autem nulla alia ratione fieri potest, quam ut eosdem characteres utriusque pacto inesse ostendamus, unde tunc a convenientia characterum, ad convenientiam sive similitudinem ipsorum pectorum, concludere possumus.

§. XXXVI.

Characteres, sunt ejusmodi rerum affectiones, quibus alia ab alia dignosci, atque a se invicem distingui possunt, non adhibito tertio quodam. Unde a quantitate differunt.

§. XXXVII.

Characteres pacti, illæ dicuntur ideæ vel judicia intuitiva, quæ ejus ingrediuntur definitionem, se se invicem non determinantia. Hinc promissio & acceptatio, pacti efficiunt characteres (col. §. IX.) Cum autem acceptatio præponat consensum (§. VIII.) consensus autem supponat declarationem voluntatis per certa signa factam (§. V.) voluntas porro præsupponat intellectum; dispiciendum erit, an in pacto coacto hæc omnia deprehendantur conf. (§. X.)

§. XXXVIII.

Proponas Tibi itaque casum singularem, ubi pactum ad esse dicitur metu extortum, & abstractas tibi ex illo casu fin-

gu-

gulari forma ideas, tunc videbis quod (§. XXXVII.) recensiti characteres, ibi etiam inveniant locum. Adeo enim promissio ab una, & acceptatio ab altera parte, quod statim in oculos incidit. Cogens enim acceptat, & qui cogitur, promittit. An vero consensus adsit? & hoc pactum voluntarium dici possit atque liberum? non statim liquet, sed concludendo assequimur, adsumis quibusdam principiis. Esse autem pactum coactum, voluntarium, & liberum (§. XXVI. §. XXVII.) demonstravimus. Consensum his partis inesse, sine probatione adsumit HOBESIUS, uti paulo infra videbimus; atque adeo in ea esse videtur sententia, consensum absolví, declarata per certa signa alicuius voluntate. Si ita hæc accipi vult, omnino confitendum erit, esse consensum externum sive expressum, sive tacitum, in pacto coacto satis obvium, cum coactus vel ad existentiam ipse transfert quod promisit, vel etiam non impedit, quo minus promissum existentia reddatur, cum tamen impedire illud potuisse. Sed, si de consensu interno quaeramus, an ille adsit nec ne? illud ex consensu externo dijudicari nequit, fieri enim potest, ut ratione status interni animæ nostræ, dissensus, & ratione actuum externorum, adsit consensus externus; adeoque eorum intuitu contradicatio esse potest, conf. (§. V. VI.) Sed, cum consensus vel dissensus internus sit occultus, ejus ratio haberi non solet, nec id fieri potest, unde in vita communii etiam ad illum non attenditur, an ille quo cum v. g. iuste parti sumus, interne, vel consentiat vel dissentiat, irritum enim reddi hoc capite minime potest per dissensum internum, sufficitque quod interne consentire potuerit, dum sanæ mentis homo fuit, alioquin aliter foret pronunciandum. Concludimus ergo ad consensum alterius, si signa quedam perspiciamus, a quibus animus diversus esse non præsumitur, quoniam hoc modo alios fallere juris naturæ præceptis, circa sermonem obseruandis, repugnat. Verum enim vero, in pacto per metum extorto, adesse etiam consensum internum, facili negotio probari potest. Dissensus internus foret ille,

C 2

qui

qui contradicit consensui externo (§. VI.) seu, ubi id sine signis aversemur & nolimus, quod, nos velle, externe sive expresse declaremus. Qui metu aliquid promittit sive pacificatur, illudque executioni dat, malum eligit minimum, quod ratione mali majoris pro bono reputat (§. XXVII.) hocque ad existentiam transfert. Cum autem alias majus malum ipsi esset subeundem, nisi eligeret minus, sequitur, ut naturali feratur inclinatione ad minus majori malo præferendum, vi legis appetitus (§. XXI. XXII.) unde in pacto ejusmodi coacto, ubi executioni, id quod promissum fuit, datur, status animi internus sive decretum mentis internum, de actione coacta perficienda, est conformis declarationi voluntatis externæ, facta per certa signa.

SCHOL. Hoc modo evictum dedimus, pactum metu extortum, etiam esse pactum: Eiusmodi autem pactum esse potest vel obligatorium, vel non obligatorium. Ut illud dijudicari queat, certa principia erunt formanda, quæ ejus rationem in se continent. Aberrarunt hic a veritatis tramite, HOBBIUS, GAOTIUS. Hic quidem omnibus hisce pactis tribuit obligacionem propter consensum, qui illa comitatur. Ille autem hæc pacta minime irrita per metum reddi, affirmat. Quoniam autem has suas cogitationes, ex indubitate non demonstrarunt principiis, ideo auctoritas eorum nos non permovet, ad iis assentiendum: Unde suo loco ostendam, precaria ab iis principiis, fuisse adsumta.

§. XXXIX.

Omne pactum coactum supponit representationes malorum (§. XXXIV.) representationes malorum, sunt motiva ad agendum nos determinantia (§. XXVI.) omne malum naturaliter aversamur (XVIII.) atque in nobis creat tedium. Si illud oritur ex malo representato futuro vel instanti, dicitur metus (§. XXV.) Ergo omne pactum coactum, presupponit metum (§. XXXIV.) Connexio motivorum cum liberis actionibus est obligatio (§. XX.) Ergo sequitur; Ut per metum obli-

obligationem in altero producere possimus, in quo nobiscum consensit THOMASUS in Fundament. j. N. & G. consequenter etiam, per pacta metu extorta. Dividitur obligatio, in activam & passivam. Activa obligatio tribuitur illi, qui cum aliorum actionibus liberis certa motiva connectit; passiva, a parte illius ita dicitur, cum iucujus actionibus certa motiva combinantur. Continet in se haec obligatio activa & passiva, ideas, quarum altera ponit aliquid, quod sine alia concipi nequit, talia autem dicuntur relata; Ergo ad se invicem referuntur haec idea.

§. XL.

Obligatio a nonnullis dividitur in justam & injustam, prout scilicet is, qui motiva connectit cum liberis aliorum actionibus, voluntatique ejus necessitatem imponit, ad id vel jure quodam gaudet, vel nullo. Hoc modo mens illorum erit interpretanda. Illud, extra omnem controversiae aleam est positum, atque ex dicendis paulo infra, patebit clarius, non omnem, qui motiva cum liberis aliorum actionibus connectit, seu certa ipsi mala representat, quibus ad agendum illum determinat, gaudere statim ad id jure. Jura enim dant leges, ponamus itaque metu extortam actionem, legi cuidam contradicere, tunc ad id cogenti nullum iustribui potest: Porro ponamus officium a nobis extorqueri, quod esset humanitatis vel amoris, iterum cogenti nullum jus competenter (§. XXXI.) quicunque enim ejusmodi officium a nobis coactione sive per metum extorquet, ut eum virium nostrarum faciamus participem, ille nos laedit (§. XXX.) laesio autem repugnat legi natura: Suum cuique tribuas (§. XXIV.) Est haec propositio obligatoria, quoniam prescribit ea officia, quae homini ab homine sunt tribuenda, & ad quae praestanda, cogi alter possit; hinc est lex, officia enim sunt effectus legis (§. XX.) Quoniam etiam natura nobis iniungit, ut nos perficiamus, (§. XXI. §. XIX.) sequentur absurdia, si praeter omnem laesionem, ius alteri tribuere vellemus, nos imperfectiores reddemus.

di. Reddimur autem imperficiiores, si viribus nostris, quibus nostram promovemus felicitatem, ab altero privemur, quoniam eo modo deficiunt media felicitatis nostra propriæ nimirum, adesse in nobis obligationem naturalem nos perficiendi, & simul nullam; obligarique nos, ad officia nobis met ipsis praestanda (§. XXI.) atque etiam ad ea nobis non praestanda. Unde adparet luculentissime, dari coactionem, nullo iure stipatam, hinc casus existere posse, ubi nullum ius cogenti competit: Ubi autem nullum ius est, ibi nulla obligatio locum invenit, (§. XXIX.) Ergo ex actionibus metu extortis, his casibus oriretur obligatio iniusta, quæ ratione valoris & effetus sui, pro nulla est habenda.

§ XLI.

Supereft, ut etiam evincamus, cui illud jus competit, connectendi motiva cum actionibus aliorum liberis, ad easdem determinandas, & cum cujus actionibus illa combinari possint? Coactio, quæ contra leges suscipitur, nulli tribuit jus (§. XL.) Ergo jus metu ab alio actiones extorquendi nobis oritur, cum illa legibus sit conformis. Est autem legibus tunc conformis, seu ab ea præcipitur, cum alter nobis non praefat officia, quæ dicuntur necessitatis (§. XXXII., §. XXIII.) qui enim illa nobis denegat, violat eo ipso se suum cuique, ad quod custodiendum, sumus natura obligati. (§. XXII.,) qui hoc violat, nos lædit, (§. XL.) malum ortum ex lesionē est damnum, ad damnum datum reparandum alter obligatur, (§. XXIII.) Hinc si sua sponte illud facere non vult, per remedia ejusmodi duriora eum ad id cogi posse, eadem lex naturalis permittit. Ex quibus patescit, cuinam illud jus competit, metum aliis incutendi, ad certa nobis officia praestanda, (scil. qui ab altero se laesum esse, sentit.) Quæ hactenus disputata sunt, in statu naturali obtinent. Neque obscure ex his intelligitur, cum cujus actionibus connecti ejusmodi metus possit, seu in quo obligatio passiva locum inveniat, (§. XXXIX.) fluit enim hoc ex antecedentē.

dentibus, si enim mala is repræsentare alteri possit, qui est læsus, sequitur, ut cum lædentiis actionibus eiusmodi mali repræsentatio coniungi possit; Ut ergo ex coactione, ad quam co-genti nullum competit ius, oritur obligatio iusta (§. XL.), ita ex iusta coactione, oritur obligatio iusta.

§. XLII.

Cum omnia pacta supponant actiones, quas alter intuitu alterius suscipere debet, vel, quæ ratione ipsius debet omittere, (§. IX. coll. §. IV.) quicquid de actionibus metu extortis (§. XL. XLI.) dictum fuit, valebit etiam de pacto metu extorto.

§. XLIII.

Suum cuique tribuas. (§ XXIV.) de quo iuste pacti sumus, illud ad id, quod suum, sive nostrum est, pertinet, (§. XVI. XXVIII.) hoc modo illud, de quo pacti sumus, nobis erit tri-buendum, pacta itaque iusta sunt servanda. Unde oritur officium, ad quod alter cogi potest, illud autem in specie dicitur officium necessitatis (§. XXXII.) atque sic ex officio humanitatis, sive imperfecto, sit officium perfectum. Ad hæc officia præstanda aliis, obligamur (§. XXIII.) Ergo pactum iustum est obligatorium. Idem dicendum erit de quibusdam pactis me-tu extortis. Quicunque nos ad paciscendum per mala certa repræsentata, cogit, is cogit nos ad actionem aliquam vel suscipiendam, vel omittendam, (§. XLII.) cum nullo gaudeat ad id iure, nos ledit. (§. XLI.) Quicunque nos lædit vel lædere etiam connitur, ille nobis dat causam disceptationis & belli, adeoque coactionis iustificam. (§. XXX.) Hinc iure gaude-mus eum cogendi, ut promissa nobiscum celebret, immo no-bis competit hoc casu ius acceptandi promissum; ex eadem etiam ratione, mala futura ipsi repræsentare; hinc metum in-iicere possumus, ut nobis aliquid promittat, quibus satisfa-cionem, aut securitatem accipiamus. Nec hic obstat lex illa naturalis: Suum cuique tribuas, (§. XL.) quæ nobis alias im-

po-

ponit obligationem, ne auferendo id, quod ad suum alterius pertinet, eos lēdamus (§. XXXIII.) sed omnino licitum nobis est, superveniente quadam lēsione ad pacificandum alterum cogere, quod alias præter lēsionem, ut officium humanitatis sive amoris, extorsio nis impatiens est. (§. XXX.) Quoniam eadem illa lex nobis facultatem illam hic concedit, extorquendi hæcce officia, si alter suo officio satisfacere recuset. Jure itaque hoc nostro, ex lēsione alterius orto, alterum cogendi, ut damnum nobis illatum reparet, illa, quæ nobis alias incumbit obligatio, tollitur, alterius vero ius expirat, quo ut erga nos posset, nisi rō suum violasset, in cuius locum succedit a parte lēdantis, obligatio, quæ antea non erat, ut suum in alienum mutet, atque ex parte lēsi, illud ius, quo exigere officia hæcce possit. Hoc est itaque medium, pensandi id, quod per alterius rei ablationem, aut iuris ipsi competenter denegationem, ei decessit. Pactum itaque metu extortum, quod supponit lēsionem, est iustum, hinc etiam obligatorium (§. XLI.) atque servandum est.

§. XLIV.

Ex hisce facile intelligitur: Quodnam pactum metu extortum, non producat obligationem, scil. illud, ubi metus iniustus fuit incussus; adeoque nulla præcesserit lēsio, sive *rō suum* cuique violatio. Coactio sive extorsio officiorum qua lēditur alter, est sine iure cogendi (§. XL. XLI.) ubi quis non habet ius cogendi alterum ad aliquid promittendum, nec ille ius habet acceptandi alterius promissum, (§. XLIII.) hinc ius ab uno non transit in alterum, atque ex alieno non fit suum (§. XXVIII.) ratione acceptantis. Ubi nulla iuris translatio, ibi nulla oritur obligatio servandi promissum, consequenter pactum metu extortum, quod non præponit lēsionem, est iniustum, hinc minime servandum, atque obligatio est iniusta (§. XL.)

§. XLV

§. XLV.

Jusjurandum est clausula, sermoni nostro accessoria, qua Deum tanquam vindicem in nos deposcimus, si nobis sit defuturum propositum, promisso satisfaciendi.

§. XLVI.

Quoniam jusjurandum est clausula sermoni principali accessoria, (§. XLV.) non est sermo principalis ipse, hinc, ut accessorium suum sequitur principale, hoc est, justitia ejus vel injustitia, hinc obligatio ejus, & non obligatio, ex justitia sermonis, sive promissi principalis, dijudicanda erunt. De eo itaque latus judicum, debet ante omnia inquirere, an illud promissum, quod juramentum supponit, sine jurejurando consideratum, sit validum, vel invalidum, justum, vel injustum, obligatorium, vel non obligatorium (§. XL. XLI.) Si supponas, illud esse injustum, tunc absurdum fore adserere, per jusjurandum, validitatem illi conciliari. Si enim haec res ita se haberet, manifestum esset, Deum esse mutabilem, cum alio tempore aliquam rem ut bonam, appeteret, alio autem tempore, eandem ut malam, detestaretur. Sed hac ratione contradicatio foret in ejus inclinationibus, sive volitionibus, quod summam involvit imperfectionem; perfectio enim summa voluntatis est, ut in illa nulla deprehendatur contradicatio, & haec tantum in Deo est, in hominibus non item. Quoniam enim illi confuse bona & mala sibi repräsentant sepius, (§. XVIII.) hinc fieri potest, ut cum se errasse sentiant, rem eandem, quam alio tempore appetiverunt, alio tempore aversentur. Contradiccio eiusmodi ratione inclinationum voluntatis, supponit adeo etiam imperfectionem in intellectu. Non enim haec imperfectio conceipi potest ex facultate, sibi quam distinctissime omnia possibilia repräsentandi. Ergo eiusmodi imperfectio ratione voluntatis, in Deo non datur. Cum autem ex illa sententia, ubi affirmaretur, quod pacta injusta jureju-

D

ran-

rando confirmata, sint valida, hoc absurdum sequatur, scil. quod Deus sit mutabilis; sequitur, ut illa falsa sit, nec adeo ex pacto injusto, fieri pactum justum, per jusjurandum; si autem post promissum justum, tunc novam superaddit obligationem, quod ita demonstratur. Quando pacta justa, jurejurando corroborantur, tunc is, qui iurat, sibi tanquam violaturo pactum, repräsentat penas divinas positivas, quas etiam nuncupamus arbitrarias, quæ diversa sunt a malis, ex violatione pacti tantum expectandis, ubi eiusmodi perjurus vel tenetur, damnum hoc modo alteri datum, compensare, vel penas incurrit alias, ab hominibus infligendas, omnemque apud homines, fidem, atque existimationem simplicem perdit. Eiusmodi autem repräsentatio malorum divinitus infligendorum, atque a prioribus distinctorum, sunt motiva nova, quæ in animo iurantis cum eventuali jurisjurandi violatione connexa, actiones ad legem transformandas esse suadent: Hinc, cum obligatio oriatur ex motivorum repräsentatione (§. XX. coll. §. XXXIX) atque ubi nova sunt motiva, etiam nova obligatio oriatur, seu alia, quæ a priori diversa: sequitur, ut jusjurandum novam pariat obligationem. Quo maiora sunt motiva, eo fortior & major inde oritur obligatio. Ergo obligatio, quæ in pacto per jusjurandum corroborato, reperitur, fortior est, quam quæ in pacto simplici. Per repräsentationem enim excandescens divinæ voluntas fortius inclinatur, ad factum promissum servandum, atque fortius etiam reclinatur, ab illo violando. Hinc ille cui iuratur, eo certius de veritate dictorum nostrorum convincitur. Quem iuramentorum finem B. HOHEISEL. tract. cit. Cap. II. (§. XC.) constituit, conf. Cl. KOEHLERUS. loc. cit. Exercit. VI. §. 1470. sibol.

SCHOL. I. Dissentire a nobis videtur HOBESIUS de Cive Cap. II. (§. XXII.) ubi dicit. Non minus obligare pactum nudum, quam iuratum, quoniam pactum nudum, si est iustum, iam parit obligationem, sed illud ipsi concedimus. Non autem valet con-
se-

sequentia, quod ideo novam obligationem jurandum non producat. Item SAM. PUFFENDORFIUS, cit. loco. Hic quidem ex ea ratione, quoniam exinde sequeretur, ius iurandum, quod promisso, iniusto metu extorto, annexum esset, producere obligationem. Sed illud minime ex nostra sententia elici potest, quoniam enim illi, qui ab altero cogitur iniusto modo, ad aliquid promittendum, atque iureiurando illud confirmandum, nulla est ratio, sibi representandi iram, poenasque divinas, si non servet, quod promisit, velle enim Deus id quod detestatur, per immutabilitatem suam non potest (§. XLVI.) hinc etiam ex illo iure iurando nulla obligatio intuitu ipsius, potest oriri.

§. XLVII.

Quod hic de pacto iusto & iniusto, cum iureiurando corroborato, diximus, valet etiam de pacto per metum iustum, & sine metu iusto extorto, atque facile observatis iis, quæ ante disputata fuerunt, ad hæc applicari possunt.

§. XLVIII.

Accipe ergo sequentes propositiones (§. XL. " §. XLI. §. XLII. §. XLIII. §. XLIV.) coet. demonstratas.

(I.) *Pactum metu extorum, pars obligationem, cum alter cogens jure gavissus fuerit, representandi alteri mala, ad aliquid promittendum.*

(II.) *Pacta metu extorta, cum altera pars contrahentium nullo mutata jure fuerit, alterius actionibus, intuiru ipsius vel perficiendis, vel omittendis, merum connectendi, non sunt obligatoria.*

Propositionibus his duabus inesse deprehendes principium obligationis, & non obligationis, pacti per metum extorti, ejus enim rationes in se continent per demonstrata. Id autem, quod alterius rei in se continet rationem, dicitur principium (§. I.) Ergo

go, hæ duæ propositiones continent in se principium obligatio-
nis, & non obligationis pauci coacti. Q. E. D. Ab his dependet di-
judicatio casuum singularium obvenientium, quorum ingens est
multitudo, quare nec voluimus nec potuimus illos hoc loco ad-
ferre, quos itaque quilibet ex his a nobis adsumptis principiis, facta
eorum ad illos applicatione, facili negotio explicare ut justum
est, poterit.

§. XLIX.

Audiamus jam etiam paucis, alios, quibus de eodem hoc
nostro argumento, fermo fuit. Notavimus supra (§. XXXVIII)
ejusdemque Schol. HUGON. GROTIUM atque HOBESIUM, qui in
aliam abierunt sententiam. Ille ita sribit, in opere de Jure B. &
Pac. Libr. II. Cap. XI. §. VII. Ego omnino illorum accedo sententie,
qui existimant seposita lege civili, que obligationem potest tollere, aut
minuere, eum qui meum promisit aliquid, obligari, quia consensus bic
adfuit, sed medius ille terminus rationem in se continet in-
sufficientem, pro demonstranda ejus sententia. Evidem ip-
si defendimus, esse in promissio, metu extorto, consensum,
(§. XXXVIII.) atque per consensum jus conferri nostrum
in acceptantem, (§. XVI. XXVIII.) verum, exinde minime
derivarri potest obligatio pactorum coactorum, nec inde illa
sequitur, sed potius ex jure connectendi mala, cum actionibus
alterius liberis vid. (§. XL. §. XLI. §. XLII. §. XLIII.) Ut autem
distincte cognoscamus, consensum non posse promissum in-
validum, convertere in validum, seu obligatorium, uti quidem
GROTIUS sibi persuadet, sequentia erunt observanda. Quam-
vis quidem in pacto, per meum injustum extorto, consen-
sus deprehendatur, ex eo tamen concipi ejus validitas non
potest, quoniam hic consensus metu est extortus; nulli autem
competit jus adigendi ad paciscendum eo modo alios, atque
ab iis extorquendi consensum, de re sua in alium transferen-
da, (§. XLII.) illud enim est officium humanitatis, non ne-
cessi-

cessitatis, (§. XXIII. §. XXXI.) hæc autem ita sunt comparata, ut citra antegressam læsionem, alius, cogere alium, ad ea non possit, quoniam illud satis manifesta læsio esset. Hæc autem repugnat legibus naturalibus (§. XXI. §. XIV. coll. §. XXX. §. XL.) Jura quidem transferuntur in alios per pœna, (§. XXVIII.) hæcque consensum supponunt, (§. IX.) verum translatio illa non fit per solum consensum, sed porro etiam ad id requiritur, ut quis habeat jus acceptandi, quod promittitur. Ubi vero aliquis non habet jus cogendi, nec habet jus acceptandi (§. XLIV.) Jam autem illi, qui metum injustum incutit, non competit ius cogendi, per demonstrata (§. XL.) Ergo per eiusmodi consensum extortum, nostrum non fit alterius, quoniam in pacto tali coacto, ratio non adest sufficiens, mutationis ratiæ suum in alienum. Hinc non omnis, qui metu promisit aliquid obligatur, Q. E. D. Animadvertisit forte Grotius, ex hac ipsius sententia inconveniens aliquod secuturum esse, scilicet, nullum, qui per eiusmodi pactum iniustum læserit alterum, teneri ad damnum datum resarcendum. Hinc subnectit paulo post, cit. §. Sed illud simul verissimum censeo. si is, cui promittitur metum intulerit non iustum, sed iniustum quamvis levem, atque inde secuta sit promissio, eum teneri ad liberandum promissorum, si promisor velit; non quod inefficax fuerit promissum, sed ob damnum injuria datum. Ex illa autem obligatione lædantis, ut læso satisfaciat, supra (§. XXXVIII.) probavimus, obligationem inefficacem esse hoc casu, unde sibi meti ipsi Grotius contradixisse videatur. Aliam in refutando Grotio viam ingressus est SAMUEL PUFFENDORFIUS in Jur. N. & G. Libr. III. §. 12, cuius rationes conferri cum nostris, merentur.

§. L.

Nec magis veritati conveniens est adsertum HOBESII de Cive Cap. II. §. XVI. ubi ita scribit: Quanquam autem aliquando patrum eiusmodi (scil. metu extortum) invalidum censi debat, non tam

men eo nomine est invalidum, quod a metu processerit, & paulo post
 hæc verba leguntur: *Universaliter verum est, obligare pacta, quando
 acceptum est bonum & promittere, & id quod promittitur licitum est;*
 porro eadem *Svo Obligamus ergo patris, a metu profectis, cat.* Somnio
 hanc ipsi cogitationem obvenisse credimus, non vigilanti.
 Prioribus verbis veritas quedam inesse deprehenditur, ubi dicit,
 quoddam pactum coactum esse invalidum, eadem enim
 propositio legitur (§. XLIV.) sed quod subnedit; non tamen
 eo nomine invalidum erit, quod a metu processerit, non con-
 gruit cum veritate per superioris demonstrata, conf. (§. XLIX.) ne-
 que ab HOBESIO hoc loco fuit demonstratum, quod quæ-
 dam pacta metu extorta, non sunt invalida propter metum in-
 justum, hinc non obligatoria. Ut tamen aliquid dixisse videa-
 tur loc. cit. exemplo quodam probare sententiam suam voluit,
 qua ratione id fecerit, mox ostendemus. Desumptum illud est ab
 origine civitatum, seu societatum civilium, ubi existimat, homi-
 nes coiville, & adhuc coire in societas civiles, metu coactos,
 ne alter, in prædam cederet alteri: sed I. hic supponit aliquid,
 quod forte non omnes ipsi sunt concessuri, quid obstat enim,
 quominus dicamus, congregari homines in societas civiles,
 propter indigentiam & defectum virium proprietarum, ad suffi-
 cientiam hoc modo consequendam, adeoque propriæ utilita-
 tes causa, sponte id facere, ut melius saluti eorum consulatur.
 II.) supponit metum incussum ab altera contrahentium parte
 cum etiam metus a tertio incussum, ansam suppeditare ad
 hæc pacta celebranda, possit, ubi hoc casu longe aliter pronun-
 ciandum erit, quam si ab altera pacientium parte illatus fue-
 rit. Illa videntur producere obligationem, ubi hæc illam respù-
 unt, uti PUFFENDORFF. loc. cit. §. II. affirmat, cui tamen con-
 tradixit GLAFÉY in seinen Vernunft und Völcker-Recht §. 123.
 p. 118. quo jure autem, quave injuria illud factum fuerit, jam non
 investigabimus. In hæc supposita itaque non inquiramus, an
 cum ratione sufficient, an vero sine illa, facta sint, sed tantum
 ostendemus, HOBESIVM, quid voluerit evincere, minime pro-
 basse

basse, atque dabimus HOBESIO, societas civiles iniri, pactaque celebrari, ex metu mutua cedis. Verba ejus haec sunt, loc. cit. & priori loco allegata, immediate excipiunt: propterea, quod inde sequeretur, pacta ea, quibus in vitam civilem homines congregantur & leges condunt, invalida esse (procedit enim a metu mutua cedis) quod alter alterius regimini se se submitat. HOBESIVS itaque, ut evinat, quod metus non reddit pacta invalida, sive ille sit justus, sive injustus, (haec enim est mens illius uti hujus §. verba produnt: Universaliter verum est, obligare pacta quando acceptum est bonum eat, nisi enim existimat, metum in genere sive justus sit, sive injustus, non obligare, caderet haec ejus propositio universalis,) provocat ad exemplum allegatum. Ut autem adpareat, quid per illud probare voluerit, atque quae ipsi vis insit in ordinem redigamus ejus syllogismum. Argumentatur ita.

§. LI.

Si metus pactum reddit invalidum, sequitur, ut etiam ea pacta, quibus in vitam civilem homines congregantur, & leges condunt, invalida sint. Sed falsum est posterius: Ergo & prius. Quoniam hoc ipsius argumentum speciem quandam prefeerre videtur, erit excutiendum. Ita connexas hic esse conspicis duas propositiones, ut, si posterior est falsa, etiam prior falsa sit, necesse sit. Haec est natura syllogismi conditionalis licetque omnino ita inferre. Notes vero hic velim, quod si valere debeat consequentia, priorem propositionem esse debere universalem, nam a particulari ad particulare, neque a particulari ad universale valet consequentia. Hoc enim modo cum certitudine concludere ad subjecti vel praedicati inferiora poteris. Itaque si recte inferre voluerit, propositio prior ita se habere debet. Si omnis metus pactum reddit invalidum: sequitur, ut etiam ea pacta quibus in vitam civilem homines congregantur, (metu impulsi) sint invalida, ratio consequentiae est, quoniam etiam hic metus adest. Sed falsum est posterius.

sterius: (pacta metu extorta, quibus in vitam civilem coeunt homines, esse invalida.) Ergo etiam prius falsum erit (scil. quod omnis metus pactum reddit invalidum.) Hæc propositio æquipollit sequenti: Non omnis metus reddit pactum invalidum; hæc autem æquipollens est illi, quidam metus pactum reddit invalidum. Eadem hanc propositionem supra demonstravimus. Unde apparet, HOBBESIUM finem suum, quem sibi habuit præfixum, hac ratiocinatione minime obtinuisse. Ejus enim loco, ubi hanc propositionem, sive conclusionem elicere voluit: Metus non reddit pactum invalidum, sive non obligatorium, illam accepit: quidam metus reddit pactum invalidum, unde sequitur, ut quidam metus non reddit pactum invalidum. Jam velim, judices, anne salva causa nostra, HOBBESIO concedere totum argumentum possimus, quod antea tollere nostram sententiam videbatur, neque adeo illud causam ipsius juvat, neque nostræ adveratur. Ex hisce adparet, posterioribus verbis illius nullam inesse vim, pro demonstranda ejus hypothesi, falsa itaque est propositio universaliter concepta quam ex antecedentibus elicere videtur, scil. universaliter verum esse obligare pacta, quando acceptum est bonum, & promittere, & quod promittitur est licium cœt, & quod in fine cit. §. affirmet, obligamus ergo pactis a metu profectis, nam si ponamus, quod quidam metus pactum reddit invalidum (si est iniustus) verum illud erit etiam, quando promissum est licitum, & acceptum est bonum. Ex eo enim, quoniā alicui licitum est promittere, nullo modo in altero oritur ius, ab alio aliiquid exigendi, illudque acceptandi (§. XLIV.) hinc etiam nulla obligatio a parte promittentis. Quæ PUFFENDORFIVS contra GROTIUM monuit loc. cit. non attingam, ea autem confirmant, quæ a nobis allata fuerunt. Hæc pauca monuisse sufficiente conf. (§. XXX, XLIII. cœt.)

§. LII.

Hactenus res nobis fuit cum GROTIО atque HOBBESIO, ad quorum castra transfire propter indicatas supra rationes, non po-

potuimus. Faciunt autem pro nobis SAM. PUFFENDORFF.
J. N. & G. Libr. III. §. 20. Cel. KOEHLERUS in *Exercitationibus Jur.*
Nature & passim, it THOMASIUS *Institut. div. Libr. I. Cap. I.* & in *Fundamen.* *Jur.* *Nature & Gent.* Ultimus constituit hanc regulam,
ex qua diiudicanda sit validitas promissorum, metu extortorum,
eorumque obligatio & non obligatio: Si metus iniustus sit
ratione inferens, & iustus ratione patientis. Posteriora au-
tem verba, in se continent ideam, non satis determinatam, nec
determinabilem, multis enim circumseptum esse videtur dif-
ficultatibus inquirere, an metus ratione patientis sit gravis, vel
levis? an cadat in constantem virum, nec ne? quod etiam obser-
vavit GROTIUS loc. cit. Hoc quidem certum est, dari gradus in
hoc affectu, pro ratione & diversitate malorum, quæ fibi quis
repræsentat aut simul, aut singulatim, quoto autem a se distent
gradu illi affectus, qui in diversis hominibus deprehenduntur,
nullo modo determinari potest. Hinc vaga nobis manet illa
idea metus, quæ cadit in constantem virum. Nec est necessa-
rium, ut in subsidium hoc vocemus, in diiudicanda evincen-
daque validitate, atque obligatione paectorum coactarum. Quod
si enim in statu naturali alter alteri incutiat metum, ubi ad id
non gaudet iure, tunc nulla obligatio inde oritur, per demon-
strata. (§. XLIV.) ibique citatis. Adeoque non queritur,
an metus ratione promittentis sit levus, vel gravis? an cadat in
constantem virum, nec non? Perinde enim id est, non enim
iure Naturæ licitum est, sine antecedente lesione, alteri iniicere
vel gravem, vel levem metum, ad quædam officia humanita-
tis ipsi præstanta. Quod si e contrario parte alter ab altero
metu iusto extorserit promissum; eo casu iterum illud in cen-
sum non venit. Hoc modo oritur obligatio, nec valet ulla
exceptio, a metu ratione patientis desumpta. Ned dicam, quod,
metus gravis pro diversitate personarum, levus; & levis ratio-
ne unius personæ, intuitu alterius, gravis dici possit. Sed
transcendent hæc cum coeteris aliis iuriis Romani opinionibus
minime fundatis. Quoniam nihil certi in se continet illa pro-

E

posi-

positio, hinc in demonstratione nullum invenit locum. Cum itaque principium, a THOMASIO non sit formatum adæquatum & omnimode certum, paulo aliter fuit determinandum, quarto ex promissis, vel pactis metu extorris, oriatur obligatio. Desideravit hoc etiam GLAFEX loc. cit. S. 18. p. 15. unde magis hanc regulam determinare, atque THOMASIVM explicare voluit, sed infelici successu, dum summa imis confudit. Rem omnem confici posse exemplis, putavit. Quoniam vero exempla representant singularia, Cel. GLAFEX nullas formavit ideas universales, ex quibus cum certitudine ad coetera, quæ sub iis continentur, vel cum illis convenientiam aliquam habent, potuisse concludere. Ingens enim est casuum singularium multitudino, quos non recensuit omnes, cum plures adhuc sint possibles. Quid itaque de iis sentiendum sit, ex allatis non adparet, dum a casu singulari ad eundem, nulla valeat consequentia, hinc toties nova se se exerunt difficultates, quoties novum exemplum se se offert. Hic adeo etiam nullis usus est principiis, quibus uti in hoc nostro argomento potuissimus, nam quæ attulit, plura in se continent, quam quidem hoc loco afferre nobis animus fuit; eoque ipso ostendit, se in demonstrando parum versatum esse.

S. D. G.




ULB Halle
003 334 392

3



36.







1736, 5. m. 13

Q. D. B. V.
DISSERTATIO MORALIS
CONTINENS
PRINCIPIVM
OBLIGATIONIS
ET
NON OBLIGATIONIS
PACTI
PER
METVM EXTORTI,
QVAM
CONSENTIENTE AMPLISS. FACVLT.
PHILOSOPHICA,
P R A E S I D E
M. PHILIP. PET. LILIEN-
THALIO,
DEFENDET
LVDOV. AVGVST. WVRFFEL,
GRYPHISWALDENSIS.
DIE MAJ. A. C. M. DCC XXXVI.
HORA LOCOQVE CONSVENTIS.

GRYPHISWALDIAE,
TYPIS CAROLI HÖPFNERI, REG. ACAD. TYPOGR.